

1257 voluit & Pisanos adesse, quorum legatos ex Hetruria, ut quasi arbitri inter utrosque pacisque autores essent, accer-  
siverat. Fuissetque non multo post Pontificis interventu pax  
secuta, nisi procul domo tam cito dimicatum esset: cu-  
jus rei fama Pontificis & aliorum turbavit consilia. Ubi  
enim utraque classis in Syriam delata est, Veneti, quan-  
quam Ptolemaidem valido tenebant praesidio, non propter-  
ea Tyrum reliquerant. Hic & Genuenses & Philippus  
Monfortensis erant, qui omnino hostilia in Venetos vicum  
ibi incolentes, fuissent ausi, nisi prohibiti a magistratu  
urbis movere quicquam in urbe aut in portu essent. Erat  
proinde Venetorum conditio aliquanto melior: quippe qui  
Ptolemaidem soli haberent, & quæ prius in Tyro quæsi-  
ta essent, non amisserint. Ea re Genuenses adhuc magis  
accensi, portu repente egressi Ptolemaidem versus ire per-  
gunt. Andreas Zenus & Laurentius Tepulus classis Prae-  
feci, quos nullus hostium motus latere potuit, quum Ty-  
ri, ut diximus, multi Veneti nominis pene mixti hosti-  
bus essent, rati quod erat, Genuenses ad se venire, ut  
suo exemplo omnia improviso adventu turbarent, confe-  
stim & ipsi instructas naves portu educunt: atque ita va-  
lidæ classes sibi obviā factæ, continuo se ad pugnam ex-  
pediunt: concurritur magnis utrinque viribus, sed majo-  
ribus omnino odiis: cruenta inde pugna oritur. Sed res  
Veneta eo ab initio superior fuit, quo & validior: quippe  
quæ non parum Pisaniorum, quos fædere per eos dies sibi  
junxerat, appendicibus esset aucta. Funduntur idcirco fu-  
ganturque hostes: eorum naves multæ in altum demersæ,  
plures captæ, quæ vigintiquinque numero fuisse dicuntur:  
reliquæ trepida fuga se Tyrum recepere. Venetus victoriam  
classem Ptolemaidem reduxit, quo secum captas naves cum  
aliquot Genuensium millibus adduxit. Tanta hostium cla-  
des non modo non explevit Venetorum iram, sed magis  
propemodum ac magis efferavit: quippe qui post victoriam  
ipsam continuo omnia publica & privata illorum ædificia,  
quæ Ptolemaide erant, diruerunt: horrea mercatorum,  
praecones, apparitores, & alia pristinæ fortunæ vestigia,  
quæ

*Prospera  
Venetorum  
pugna inter  
Tyrum &  
Ptolemai-  
da.*